



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Ad Henriettam Mariam, Borboniam, Angliæ Reginam. Cùm ipsam ex Alba
Aula egredientem magna hominum multitudo insequeretur. Ode XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

Expromet roseo Castor ab æquore,
 Et sæui rabies Noti
 Mitescet Zephyris : tympana conuocent
 AEratas acies, armaquè matribus
 Exosa, & medio sæuiat agmine
 Mauortis rigidi furor ;
 Hæc mixtas lituis disijciet tubas,
 Et Pallas subitò casside lauream
 Neglectâ capiti nectet, & aureis
 Pax orbem repetet rotis .
 Hæc regnorum apices, fataquè principum
 Impacata rotat, iuraquè ciuium
 Sancit, dein repetit non patiens humi
 Arcis fidereæ plagas .

AD HENRIETTAM MARIAM,
 BORBONIAM,
 ANGLIÆ REGINAM.

*Cùm ipsam ex Alba Aula egredientem magna homi-
 num multitudo insequeretur .*

ODE XX.

R Egina Magnæ magna Britanniaë,
 Galliquè, Scotiquè, & celeris pede
 Patrona Hiberni, sponsa regis,
 Nata, soror, genitrixquè regum :
 Quid esse dicam, tu quoties foràs
 Procedis albæ limine curiæ,
 Pugnace deducis tumultu
 Pressam humeris sine lege turbam ?
 Misces lacernâ purpuream togam
 Impunè vili, cum duce turgido
 Misces colonum, virginisque
 Cum senibus, puerisque nuptas .
 Festiua plenis recta oculis micant,
 Voluntquè tecum, ceu Iouis aureas

Dum

Dum lustrat ædes Noctiluca,
 Siderei comitantur ignes.
 Hoc esse dicam: redderis anxio
 Astræa mundo, vel potius tuis
 Pandora descendis Britannis,
 Haud miseræ nocitura terræ.

TABVLA B. VIRGINIS NASCENTIS,

*iussu Summi Pontificis scitissimè depicta, & in templo
 Pacis collocata.*

O D E XXI.

Solis ut demus rutilantis ortum
 IESVLI cunis, dabimus MARIAE
 Præuium natæ iubar: ô salutis
 Phosphore nostræ!
 Non enim Lunam voco, magna Mater,
 Sed nequè Auroram, memor vsquè puræ:
 Tu vacas Virgo maculis, nites tu
 Infancia noctis.
 Miffa primæui domitrix draconis,
 Et relegatæ grauis arrha noxæ,
 Seû venis Iris Superûm, aut columba
 Pulchra Noëmi;
 Diua, sublimem tibi fige sedem
 Aede sacratâ sub honore Pacis:
 Fas erat longæ dominæ quietis
 Addere nomen.
 Artibus miris imitata viuam
 O ades vel sic precibus clientum!
 Arduum cælo nihil; ipsa vocem
 Redder imago.